



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Q. 125. Quale propositum requiratur in Confessione venialium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42624

vendi. **R. 2.** Sufficere desiderium seu volitio-
nem efficacem cavendi omne mortale , quam
potest habere, quamvis ex parte intellectus ad-
sit alius actus, quo judicat , vel etiam ex parte
voluntatis timor, ne volitio illa desinat, nam et-
iam ideo debet pro auxilio recurrere ad Deum,
cujus gratia iuvare potest infirmitatem no-
stram , sicque poterit erigi etiam ad spem ali-
quam de hoc, ut si Dei gratiae cooperetur, non
relabatur, & ista sufficiunt ad propositum effi-
cax, id est, tale, ut quamdiu existet , cum ipso
incompossibilis sit voluntas peccandi.

902

Q. 125. Quale propositum requiratur in confessio-
ne venialium. **R. 1.** Requiri aliquod proposi-
tum, certum est, quia requiritur dolor de aliquo
saltē veniali confessio , omnis autem dolor est
aliquod propositum cavendi peccatum, de quo
est dolor.

903

§. 2. Cūm dolor sufficiens ad Sacramentum
debeat esse efficax respectu alicujus peccati con-
fessi, uti dictum est n. 668., propositū debet esse
efficax saltē respectu unius venialis confessi :
unde audiendus non est *Suar. De gratia l. 7. c. 24.*
n. 7. ubi videtur dubitare de hoc, an ad remissio-
nem venialis requiratur propositum efficax.

904

§. 3. Quamvis probabilius sit sufficere pro-
positum virtuale, tamen secundūm dicta num.
895. debet in praxi elici formale, ne Sacra-
mentum exponatur periculo nullitatis , quando
enim Concilia & Authores dicunt ad Sacra-
mentum Pœnitentiæ requiri dolorem cum
proposito, non distinguunt inter confessionem
mortalium & venialium : nec aliunde sufficien-
ter colligimus non debere hoc extendi ad con-
fessionem etiam venialium.

§. 4

§. 4. Non requiritur propositum extendens
ad omnia venialia, quia secundum dicta n.
681, non requiritur dolor de omnibus veniali-
bus, quæ quis confitetur, ergo nec propositum
cavendi illa omnia, sed sufficit propositum ca-
vendi saltem aliquod illorum, de quibus dolet,
& rationes ibi sunt sufficienter insinuatæ.

905

§. 5. Præter propositum cavendi aliquod
veniale ex confessis, de quibus dolet, fortè et-
iam requiritur propositum cavendi omnia mor-
talia, seu non peccandi de cætero mortaliter,
quia qui suscipit Sacramentum, vult gratiam
de se reconciliativam, quæ sit forma amicitiæ
divinæ de se perpetuæ, ergo vult non esse aver-
sus, nec inimicus Deo, ergo vult servare impo-
sterum omnia ejus præcepta obligantia sub
mortali, ergo vult nullum mortale committere,
& hoc re ipsâ est propositum universale caven-
di mortalia.

906

Q. 126. *An & quomodo in praxi elici possit pro-
positum cavendi omnia venialia.* R. Difficultas hic
est non parva, cum enim non possint caveri o-
mnia, nisi, uti habet T. id. sess. 6. can. 23. ex spe-
ciali Dei privilegio, quod nemo sibi spondere
potest, Authores variè loquuntur de hoc pro-
posito cavendi omnia venialia, nam

907

I. S. Th. 3. p. q. 87. a. 1. ad 1. dicit ad pœni-
tentiam venialium sufficere, quod homo pro-
ponat abstinere à singulis, non tamen ab omni-
bus. Non est autem sensus, quod requiratur
propositum abstinendi ab omnibus distributi-
vè sumptis, hoc enim esset propositum absti-
nendi à collectione omnium, sicuti qui vellet
occidere omnes homines distributivè sumptos,
vellet re ipsâ tollere totam collectionem homi-

K k 3 num,